



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

III. Vtrum omnia sacramenta constent rebus, & verbis tanquam materia, &
forma?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

est vllum sacramentum, neque nouum, neque vetus apud D. Thomam. Idem clarè docet ibidem sæpè, præsertim quæstiunc. 3. & 4. & maximè ad 1. quartæ, quæ incipit: *Dicendum quod sacramentum est causa, & signum.*

Ad 6. Antiquæ repræsentationes Christi, & eius gratiæ, quæ communiter non dicuntur, nec reuerà sacramenta fuere, non adhibebantur, vt aliquis sanctificationis effectus; ex illis secundum se perciperetur, vt modo dicebat Diuus Thomas de serpente æneo; sed præcisè ad repræsentandum; idemque dicitur de sacra Scriptura. Iam sacramentalia non significant præctice rem sacram significantem; sed solam disponentem ad sanctificationem, vt dicitur infra q. 36. ex D. Thoma, & aliis. Ergò neque de iis, neque de aliis similibus est eadem ratio, atque de circumcisione, & similibus, vt dicantur analogicè sacramenta. Agetur verò deinceps ex professio de præcipuo anologato, nempe de sacramentis nouæ legis, & obiter de antiquis; idque primum in genere, deinde in specie.

Q V Æ S T I O III.

*Vtrum omnia Sacramenta constent rebus,
& verbis, tanquam materia,
& forma?*

V idetur non constare. 1. Ex Durando, quia sacramentum penitentiae perficitur exteriorius, ac sensibilibiter sola confessione penitentis, & absolutione ministri, & vtrique constat solis verbis.

2. Ex eodem: Sacramentum matrimonij perficitur aliquando per solos natus, & tunc sine verbis; vt plurimum verò per verba, & tunc sine re distincta à verbis.

3. Ex Soto, & aliis, Sacramentum Eucharistiæ perseuerat post desitionem verborum Ergo non constat verbis, tanquam forma.

4. Vt sacramenta omnia constarent rebus, & verbis; non tamen tanquam materia, & forma. Quia neutra sunt ex alteris recipiuntur. Ceterè verba non possunt habere rationem formæ, quia habent minorem perfectionem, quam res; cum tamen forma cuiusque compositi sit pars eius perfectior, dans illi speciem.

5. Antiqua sacramenta præcesserunt, vt exemplaria nouorum, atque illa verbis nequaquam constabant, vt mox dicitur. Ergo verba ad nullius sacramenti substantiam pertinent, etiam cum adsunt.

Art. 1. Respondetur. Certum primò est, sacramenta antiqua solis rebus, & non etiam verbis constituisse. Colligitur ex 17. Gen. 12. Exodi, & 8. Leuitici, vbi præscribuntur ritus circumcisionis agni Paschalis, & ordinationis Sacerdotum absque vlla verborum mentione. Adhibetur quidem Leuit. 4. oratio vocalis in sacrificio pro expiatione peccatorum; sed erat purè precatória, non perfectiua, ac essentialiter constitutiua sacrificij; quia non adhibebatur in eo, cum offerretur pro ipso sacerdote. Præterea est probabilius tale sacrificium non fuisse simul sacramentum, quia erat signum sanctitatis, qua Deus est in se sanctus, & cultu dignus; non sanctitatis, quæ inde ab aliquo homine perciperetur ex opere operato.

Art. 2. Certum rursus est negari minimè posse, quin omnia sacramenta nouæ legis aliquo modo constent rebus, & verbis tanquam materia, & forma. Audiatur Eugenius 4. in Decreto pro instructione Ar-

R. P. Esparza Cmsf. Theol. Tom. II.

menorum, quod habetur sub finem Concilij Florentini in lib. supra citato 5. *Ecclesiasticorum*, vbi enumeratis omnibus nouæ legis sacramentis subiungit sic: *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.* Vbi si solum diceretur, sacramenta omnia perfici rebus, & verbis, sicut dicitur perfici persona ministri cum intentione; non propterea sufficienter deduceretur vtrique illis constitui intrinsecè; deducitur tamen efficaciter ex eo, quod addit: *perfici rebus tanquam materia, & vocibus, tanquam forma.* Quia materia, & forma ex vniiformi apud omnes vsu significant determinatè partes intrinsecè constitutiuas totius; cuius dicuntur materia, & forma. Constant igitur intrinsecè omnia sacramenta nouæ legis rebus, & verbis.

Art. 3. Certum denique est sacramentum esse totum quoddam morale constans ex partibus moraliter tantum inter se vnitis, ob vnitatem voluntatis ordinantis illas simul sumptas ad vnum finem ac effectum indiuisim per ipsas inducendum. Vnde ad verificanda superiora illa verba Concilij iuxta eius mentem, non solum necesse non est, physicam aliquam vniionem res inter, & verba ponere, sed neque necesse est ponere in singulis sacramentis res, & verba inter se realiter, ac formaliter distincta. Quæ autem talia sunt non sortiuntur rationem materiæ, & formæ, iuxta summum rigorem, ac proprietatem grammaticalem harum, & illarum vocum, sufficit si res, & verba moraliter saltem, & æquiuacenter reperiuntur, eisque secundum munus proprium ipsorum, quatenus pertinentium ad sacramentum, insit aliquod prædicatum ex iis, quæ sunt præcipua in materia, & forma physicis. Vtrumque aduertunt Conink, & Tannerus in præsentia cum D. Thoma, Bellarmino, & aliis communiter: colligiturque ex eodem Concilio. Quia si ageret in rigore metaphysico, non potuisset distinguere res à verbis, quæ & ipsa sunt res quædam. Et multò minùs ibidem *S. seprimum est sacramentum*; potuisset dicere: *causa efficiens matrimonij regulariter est mutus consensus per verba de præsentia expressus.* Quod perinde est ac dicere; non semper, ac necessariò effici per verba; atque hoc contradiceret definitioni generali superius positæ, & nuper hic prælatæ, nisi verba æquiuacenter etiam, ac moraliter tantum talia in ea intelligerentur. Vnde patet aditus ad rationem materiæ, & formæ eodem modo subintelligendam, ac explicandam. Sumptis autem hoc modo rebus, & vocibus, materia, ac forma, non est difficile tueri definitionem illam vniuersalem Concilij, & conclusionem inde deductam, vt patebit ex solutione difficultatum.

Ad 1. Confessio penitentis quatenus exprimens peccata, supra quæ cadit absolutio, non inidoneè dicitur res, & materia sacramenti comparatione absolutionis. Quia verba penitentis ex intentione ipsius, vt talis, non adhibentur primariò, & formaliter ad exprimendos præsentis ipsius actus internos, & conceptus; sed ad exprimendam malitiam præteritorum peccatorum; & quatenus æquiuacenter immediatè exhibitioni, atque ob oculos positioni eorundem peccatorum secundum se, quatenus sunt operationes quædam, siue oris, siue manus, siue cordis contra legem Dei, possuntque absolute loco verborum adhiberi natus; ac proinde hi sunt æquiuacenter verba, atque è conuerso. At verba absolutionis adhibentur formaliter ad munus, quod est propriissimum, ac primarium verborum, iuxta institutionem suam naturalem; nempe ad exprimendos actus internos loquentis, nec sunt supplebilis per aliam rem. Ergò possunt priora verba vicem,

Bb 3 &

& nomen rerum moraliter subire comparatione posteriorum.

Ad 2. Verba, & nutus illis æquivalentes, quibus perficitur matrimonium validum, æquivalent traditioni, & acceptationi realiter distinctis. Et quia traditio in aliis contractibus, saltem ut plurimum, & per se, est quid purè physicum à verbis distinctum, nec verbis substitutum; acceptatio verò è conuerso saltem ut plurimum, & per se fit per verba, aut aliquid verbis substitutum; propterea verba matrimonialia, quatenus habent rationem traditionis nomine rerum moraliter, & æquiualeuter censentur, nomine autem verborum, quatenus habent rationem acceptationis.

Ad 3. Verba consecrationis postquam desinunt esse formaliter, ac physice, perseverant nihilominus virtualiter, ac moraliter per physicam, & veram perseverantiam alicuius sui effectus, & quatenus sic perseverantia constituunt intrinsecè Sacramentum Eucharistiæ, quamdiu quo ad cæteras partes physice, ac formaliter perseverat. De quo sicut, & de duplici superiori responsione dicitur fusius in loco.

Ad 4. Pars cuiusque compositi magis indifferens ad alteram partem, quàm hæc sit ad illam dicitur materia; forma verò, hæc alia magis determinata. Est etiam proprium formæ, ut sit præstantior, quàm materia. Quoad utrumque comparantur partes omnes inter se, secundum eam rationem, sub quâ pertinent ad totum. Iam ad sacramentum confluunt eius partes sub ratione signi symbolici; atque sub hac ratione verba habent maiorem determinationem, perfectionemque longè maiorem. Maiorem quidem perfectionem, quia, ut dicit August. lib. 2. de doctrina Christ. cap. 3. *Verba obtinent principatum ante omnia signa.* Atque hinc sequitur maior determinatio, quia perfectius signum est, quod maiori cum determinatione repræsentat rem significatam. Ex defectu enim significationis provenit confusio, seu confusibilitas significati cum aliis, & indiscernibilitas ab aliis ex vi signi. Idem patet ex enumeratione partium. Quia aqua, quæ est materia baptismi est ex se indifferens ad abstergendum, & refrigerandum. At verba, quæ illi adiunguntur habent de se determinationem ad emundationem animæ, & macularum exterionem, qui est effectus determinatè per baptismum significatus. Accusatio sui, quam diximus rem in sacramento penitentia, est indifferens ad humiliationem, conciliationem, damnationem, & condonationem; atque ad hanc ultimam, qui est effectus eius sacramenti determinatur per verba absolutionis; Haud aliter in matrimonio acceptatio ex conceptu suo præsupponit traditionem; & complet, tanquam ultima determinatio, coniunctionem, & adiudicationem rei tradita respectu acceptantis; & similiter in aliis omnibus contingit. Qua ratione dixit Augustinus tr. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*: nempe accessio per se est magis determinati ad magis indifferens. His igitur de causis satis idoneè dicuntur res quidem materia sacramenti; forma verò verba; licet alia propria materia, & formæ physica illis desint.

Ad 5. Antiqua sacramenta comparantur cum novis tanquam imperfectum, & inchoatum cum perfecto, & absoluto, nec dicuntur exemplaria novorum, nisi improprie, quatenus præexistere cum aliqua similitudine, & vi inductiva posteriorum. Imperfectius autem necesse est, ut careat ea parte, ratione cuius præcellit, quod est perfectius. Porro verba sunt ea pars, ratione cuius præcellit vis significatiua sacramentorum novæ legis. Nempe quod dicit Tridentinum sess. 14. decreto de Sacramentis penitentia, & extremæ Unctionis cap. 3. initio: *Formam Sacramenti*

penitentia esse in qua præcipua ipsius vis sita est; dereliquis etiam sacramentis suo modo verificatur, quoad præstantiam significandi, ut apparet ex modo dictis. Idem Concilium ibidem cap. 2. initio, clarè in eodem sacramento adstruit, & in reliquis novæ legis non obscure supponit, materiam, & formam intrinsecè constitutivas eorum, dum dicit: *præterquam quod materia, & forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissident.*

QVÆSTIO IV.

Utrum materia, & forma Sacramentorum sint invariabiles.

Videntur non esse. 1. Ex Caluino, quia verba quorum est usus in perficiendis sacramentis, non pertinent ad eorum essentiam, & causalitatem, sed sunt concionatoria, solumque pertinent ad eruditionem, & ad excitandam fidem suscipientium. Colligitur primo ex illo ad Ephes. 5. 26. de Christo, & Ecclesia: *Mundans eam lauaero aqua in verbo vite*; id est doctrinæ, & concionis, ut interpretatur Diuus Hieronymus in eum locum. Deinde ex Matth. 18. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: ubi ministro baptismi quatenus loquenti solum commendatur doctrina, & consequenter, ut dum baptizat, aut lauat solum doctrinaliter proponat, ac exponat nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Denique ex illo August. tract. 80. in Ioan. *Vnde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur*: Ergo verba in sacramentis non conferunt ad existentiam gratiæ præcisè secundum se, & per immediatam causalitatem, sed solum quatenus excitant fidem. Excitatio autem fidei, & eruditio audientium multiplici verborum genere æquè bene præstari potest: nec est deinceps determinata vllis, ac inuariabilibus verbis. Ergo formæ sacramentales sunt variabiles, pro libito ministri, sicut verba aliarum concionum.

2. Concilium Tridentinum reddidit inualidum matrimonium clandestinum sine præsentia testium, & Parochi, contractum, quod tamen ante concilium erat proculdubio validum. Varietas autem circa valorem sacramenti, est varietas circa substantiam ipsius ac proinde circa materiam, & formam secundum se, & non solum secundum accidens. Ergo auctoritate, Ecclesiæ induci potest nouitas, & variatio circa materias, & formas sacramentorum.

3. In eodem sacramento possunt Principes temporales non minùs, quinimò à fortiori, & multò magis, similes nouitates quoties, & quales liberit inducere. Quia contractus matrimonij est aliquid secundum se, naturale, ac temporale, substantiæ auctoritati Principum temporalium, non minùs, aut alia ratione, quàm cæteri contractus naturales, ac temporales, variabiles, quoad substantiam iuxta eorum voluntatem. Nec enim supernaturalia commendata auctoritati Ecclesiasticæ inducta sunt per Christum cum iactura Principum temporalium circa ea, quæ antecedenter illis suberant, uti suberat contractus matrimonij; & est res magni momenti ad temporalem reipublicæ directionem.

4. Ecclesia sola sua auctoritate induxit nouam materiam pro sacramento Ordinis. Quia olim Diaconus ordinabatur per solam manuum impositionem, ut materiam, certè absque exhibitione Euangeliorum, ut patet exemplo Sancti Stephani ordinati, cum